



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus IV. vtrum Christus omnes defectus corporales hominum
assumere debuerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

August.

Damasc.
Anselm.

dignitate personae, debita illi erat talis naturae perfectio, quae omnes hos defectus impediret: & ideo nos contra hunc, nec simpliciter naturales dicendi sunt sed voluntarie assumpti. Quae tota doctrina sumpta est ex Augustino, lib. 5. contra Iulianum, capite nono versus finem, & Damasceno, libro tertio de Fid. cap. vigesimo, & Anselmo lib. primo, Cur Deus homo, cap. decimo, & lib. secundo, cap. decimo, vnde decimo, & sequentibus.

ARTICVLVS IIII.

Utrum Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuisset.

89
Supr. q. 12.
art. 4. 3. 5
inf. q. 15.
1. 2. 3. 4.
46. art. 4.
3. 3. 2.
1. q. 2. 1. 5.
d. 15. q. 1.
art. 1. & d.
22. q. 2. art.
1. q. 1. 5.
4. contra 2.
5. 11. 5.
opus 5. 1.
238.
* Li. 3. op. 5.
18.
Artic. 1.
Artic. 1. &
2. huius q.



Quantum sic proceditur. Videtur, quod Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuisset. Dicit enim Damascenus. * Quod est inassumptibile, est incurabile. Sed Christus venerat, omnes defectus nostros curare. Ergo omnes defectus nostros assumere debuit.

2. Præterea, dictum est, quod ad hoc, quod Christus pro nobis satisfaceret, debuit habere habitus perfectos in anima, & defectus in corpore. Sed Christus ex parte animae assumpsit plenitudinem omnis gratiae. Ergo ex parte corporis debuit assumere omnes defectus.

3. Præterea, inter omnes defectus corporales, precipuum locum tenet mors. Sed Christus mortem assumpsit. Ergo multo magis omnes alios defectus assumere debuit.

Sed contra est, quod contraria non possunt simul fieri in eodem. Sed quadam infirmitates sunt sibi ipsis contrariae, ut pote ex contrariis principiis causatae. Ergo non potuit esse, quod Christus omnes infirmitates humanas assumeret.

Respondendo dicendum, quod, sicut dictum est, Christus defectus humanos assumpsit, ad satisfaciendum pro peccato humane naturae, ad quod requirebatur, quod haberet perfectionem scientiae, & gratiae in anima. Illos ergo defectus Christus assumere debuit, qui consequuntur ex peccato communi totius naturae, nec tamen repugnant perfectioni scientiae, & gratiae. Sic igitur non fuit conueniens, ut omnes defectus seu infirmitates humanas assumeret. Sunt enim quidam defectus, qui repugnant perfectioni scientiae & gratiae: sicut ignorantia, promissa ad malum, & difficultas ad bonum. Quidam autem defectus sunt, qui non consequuntur communiter totam humanam naturam, propter peccatum primi parentis, sed causantur in aliquibus hominibus ex quibusdam particularibus causis: sicut lepra, & morbus caducus, & alia huiusmodi. Quod quidem defectus, quandoque, causantur ex culpa hominis, puta, ex inordinato victu: quandoque autem ex defectu virtutis formativae. Quorum neutrum conuenit Christo: quia & caro eius de Spiritu sancto concepta est, qui est infinita sapientia & virtus, errare & desicere non potens, & ipse nihil inordinatum in regimine suae vitae exercuit. Sunt autem tertii defectus, qui in omnibus hominibus communiter inveniuntur, ex peccato primi parentis: sicut mors, fames, sitis, & alia huiusmodi. Et hos defectus omnes Christus suscepit, quos vocat Damascenus naturales, & inderectibiles passionem: naturales quidem, quia consequuntur communiter totam naturam humanam: inderectibiles autem, quia defectum scientiae & gratiae non important.

Ad primum ergo dicendum, quod omnes particulares defectus hominum causantur ex corruptibilitate, & passibilitate corporis, super additis quibusdam particularibus causis. Et ideo, cum Christus curauerit passibilitatem, & corruptibilitatem corporis nostri, per hoc, quod eam assumpsit, ex consequenti omnes alios defectus curauit.

Ad secundum dicendum, quod plenitudo omnis gratiae & scientiae, anima Christi secundum se debebatur, ex hoc ipso, quod erat a Verbo Dei assumpta: & ideo absolute omnem plenitudinem sapientiae & gratiae Christus assumpsit. Sed defe-

ctus nostros dispensatiue assumpsit, ut pro peccato nostro satisfaceret, non quia ex secundum se competere. Et ideo non oportuit, quod omnes assumeret, sed solum illos, qui sufficiebant ad satisfaciendum pro peccato totius humane naturae.

Ad tertium dicendum, quod mors in omne homines deuinit ex peccato primi parentis: non autem quidam alij defectus, licet sint morte minores. Vnde non est similitudo.

COMMENTARIVS.

Trius assertionibus D. Thomas respondet. Prima est, non assumpsisse Christum illos defectus qui cum scientiae & gratiae perfectione pugnant. Hæc satis constat ex iis, quæ supra de gratia & scientia Christi dicta sunt, & ex parte tractanda est late quaestione sequenti. Non immerito tamen percontatur Caietanus, quare D. Thomas horum defectuum mentionem hic fecerit, qui ad animam potius, quam ad corpus pertinent, ut sunt ignorantia, propensio ad malum, difficultas in bono. Respondet tamen potest, obiter tantum hæc attigisse D. Thomam, ut illam generalem regulam statueret, scilicet, præter eos defectus, qui ad veritatem humane naturae pertinent, illos tantum defectus Christum assumpsisse, qui ad finem incarnationis utiles esse poterant: non vero, qui ad hunc finem nihil conferunt, ut sunt ignorantia, &c. Vel certe dici potest, non loqui hic D. Thomam de his defectibus, prout formaliter ad animam pertinent, sed prout ex dispositione corporis originem trahunt, ut sensus sit, non assumpsisse Christum corpus ita dispositum, vel ita prædominans animæ, ut perfectionem scientiae, & gratiae posset impedire.

Secunda assertio, non assumpsisse Christum particulares defectus corporis, qui non sunt toti naturæ communes, ut sunt ægrotudo, & deformitas. Ratio est, quia in Christo non sunt inuentæ causæ, ex quibus hi defectus oriri solent, quæ sunt, aut imperfecta virtus formans corpus, aut imperfectum regimen ipsiusmet corporis.

Tertia est, assumpsisse Christum defectus communes omnibus hominibus, quos Damascenus vocat naturales, & irreprehensibiles hominis affectiones. Circa quam conclusionem, & ceteras nihil notandum occurrit, præter ea, quæ statim disputabimus. Solum est obseruandum illud principium positum a Diuo Thoma in principio corporis articuli & in solutione ad secundum repetitum, scilicet, perfectionem omnem humane naturæ conuenientem per se debitam esse humanitati ratione vnionis; defectus vero tantum esse assumptos propter nos. Hoc enim principium, & pro qualitate materie per se notum est, & illo in superioribus sæpe vti sumus, & in sequentibus vtemur.

DISPUTATIO XXXII.

In quatuor sectiones distributa.

De perfectionibus, & defectibus corporis Christi.

Quoniam defectus, carentiam quandam perfectionis indicat, idem enim defectus nomine, quod voce imperfectionis significari videtur: ideo ad explicandum quos defectus Christus in corpore suo assumpsit, à perfectionibus assumptis inchoandum est, ut per habitum priuatio facilius cognoscatur. Aduertendum autem est, duplices esse posse perfectiones in corpore humano, quædam sunt conaturales, & debite tali corpori secundum debitum statum eius, ut sunt pulchritudo, sanitas, & similes: aliæ sunt supra debitum naturæ, ut sunt doctores, quæ-

Lib. 1. orib
fid. c. 14. in
fin. & lib.
3. 2. 0.

corpus habebit in gloria, & ad has reuocari possunt perfectiones, quas habebat in statu innocentie, in quo esset aliquo modo impassibile, & immortale: quarum quidem perfectionum carentia, defectus quidam est, qui solum consideratur secundum id, quod naturæ humane de se debitum est, solum est veluti negatio quædam, seu negatiua imperfectio: tamen respectu naturæ humane eleuata ad superiorem quendam statum, & præsertim ad vniionem hypostaticam, cui omnis illa perfectio debita est, magis habet rationem priuationis, & proprii defectus, seu imperfectiois.

Præter hos vero considerari possunt in humano corpore alij defectus omnino connaturalis illi, qui non priuant illud aliqua perfectione, in aliquo statu sibi debita, sed solum negant perfectionem propriam alicuius naturæ superioris, vt sunt circumferibi loco, & esse loco mutabilem, & alij similes, de quibus breuiter sigillatim dicendum est.

SECTIO I.

Verum Verbum assumptum in corpore humano perfectiones corporis gloriosi vel potius defectus illis repugnantes, vt esse passibile, mortale, &c.

Idem
Hic
Cicero
Damas
Niceph
Eusebiu
Iust. Imper
Niceph
VI Synod

SENSUS huius dubij est de principio temporis, de quo facta est assumptio, & de toto tempore vite. Nam quod post Resurrectionem habuerit Christus in corpore suo omnes has perfectiones, & caruerit omnibus his defectibus, dubium non est, de qua re infra in proprio loco disputabimus. Est ergo primus error eorum, qui negarunt assumptisse Christum corpus passibile, etiam si non negarent assumptisse verum corpus humanum. Autor huius fuit Iulianus Halicarnasensis, & Caietanus, vt refert Damascenus, hæres. 84. & Nicephorus libro 17. histo. cap. 29. & in eundem errorem dicitur incidisse Iustinianus Imperator: vt est apud Euagrium libro quarto histo. cap. 19. & Nicephorus supra cap. 31. qui tamen excusat imperatorem, eo quod per ignorantiam lapsus fuerit, vt non propterea sit inter hæreticos reputandus præsertim quia in VI. Synod. in præfatione eius, & alijs locis, in quibus sit mentio Iustiniani Imperatoris, inter Catholicos, & iustos numeratur. Fundamentum huius erroris solum fuit, quia non existimabatur isti hæretici, Verbum diuinum corpus passibile decessisse. In quorum fauorem adiungi potest illud Psal. 15. & Actorum secundo Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Secundus error hic referri potest quorundam, qui negarunt assumptisse Christum corpus graue, quod natura sua deorsum ferretur. Ita sensit Theodorus quidam, vt refert Beda libro 2. in Marc. ca. 28. & Diuus Thomas in Catena Matth. 14. Clitoui. super Damascen. libro. 3. cap. 15. Fundamentum fortasse fuit, quia Christus super aquas ambulabat.

Psalm.
Act. 2.

Theodor.
D. Thom.
Clito.

Luc. 22.
Matth. 4.
Ioan. 4.

Isai. 53.

1 Cor. 15.
Hic. 4.

Dico tamen primo, assumptisse Verbum corpus humanum vere passibile, ac mortale, atque adeo carens doloribus, seu perfectionibus gloriæ. Est de fide, quæ satis constat ex illo Luc. 22. Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? constat etiam ex toto Euangelij discursu, in quo affirmatur Christum passum fuisse famem, Matth. 4. sitim, Matth. 27. corporis defatigationem, Ioannis 4. quæ vera esse non possunt, si corpus vere passibile non habuit. Dicere autem, specie solum, & non veritate hæc passum esse, contra fidem Scripturæ est, præsertim cum Isai. 53. dicatur, Vere languores nostros ipse tulit: est etiam contra veritatem redemptionis, & fidei nostræ, quia si non vere mortuus est, nec vere nos redemit, nec vere resurrexit: vana esset ergo fides nostra, vt in simili argumentatur Paul. 1. ad Corinthios 15. Denique Paulus ad Hebræos 2. propter corpus passibile dicit, Christum paulo fuisse minoratum ab Angelis, & causam reddit dicens. Quia pueri communica-

uerunt carni, & sanguini (per quæ corpus passibile significatur) oportuisse Filium DEI, eisdem participasse, & fieri fratribus similem, vt misericors fieret: & cap. 12. aliam reddit rationem, quam etiam docuit Petrus prima canonica, cap. 2. dicens: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, &c. Denique contra hos hæreticos faciunt omnes Scripturæ, quæ supra contra Manichæos, & alios adductæ sunt. Illud enim inter hos hæreticos conuenit, quod solum specie, & apparentia Christum passum esse dicebant, propter quod Phantasia dicti sunt, vt Nicephorus refert libro 18. cap. 45. Secundo, definita est hæc veritas in toto Concilio Ephesino, Chalced. actione 5. V. Synodo, act. 8. VI. Synodo, actione 11. 13. & 18. Lateran. sub Mart. I. & alijs: & tradit Damasus Papa in epistol. & in professione suæ fidei ad Paulinum: & Eutychianus Papa epistol. 1. Leo Papa epistol. 11. Ambrosius libro secundo de Fide, cap. 4. & libro de incarnat. Dom. sacram. cap. 6. & 7. Augustinus epistol. 146. Damascenus libro 3. cap. 28. & Tertullianus libro. de Carne Christi, & alios in sequentibus referam. Tercio, ratio potissima sumenda est ex fine redemptionis: nam licet corpus passibile non fuerit conueniens Christo secundum se, propter vniionem ad Verbum, & propter animæ gloriæ: tamen supposito lapsu humanæ naturæ, & necessitate redemptionis nostræ, expediens omnino fuit, Christum huiusmodi corpus suscipere, vt exponendo textum Diui Thomæ satis declaratum est, & supra etiam questione prima articulo secundo, & dicitur infra questione 46. & 47. Vtuntur etiam Patres interdum illa ratione, quia alias corpus Christi non esset eiusdem naturæ cum nostro, vt constat ex Damasceno, Nicephoro, & alijs supra citatis: Quæ ratio per se sumpta non videtur efficax, quia potuit esse corpus Christi Domini eiusdem naturæ specificæ cum corporibus aliorum hominum, & tamen non habere eandem conditionem, seu statum corruptionis. Solum ergo potest procedere illa ratio, supponendo ex fide Christum a principio, dotes gloriæ suo corpori non communicasse. Vnde fit, si corpus illud fuit impassibile, id non habuisse ex dono superiori, sed ex natura sua: quo pacto recte sequeretur, esse alterius naturæ a corporibus aliorum hominum.

Phantasi.
Niceph.
Conc. Ephes.
Conc. Chalced.
V. Synod.
VI. Synod.
Conc. Lateran.
Damasus
Pap.
Eutych.
Pap.
Leo Pap.
Ambros.
Damasus
Tertul.

Dico secundo, assumptisse Verbum in corpore humano illos defectus, qui sunt veluti naturales, propriates, comitantes conditionem corporis mortalis seu passibilis. Est certa conclusio, quæ ex Diuo Thoma hic colligitur, & ex alijs Scholasticis in 3. D. Thomæ distinctio. 15. & sequitur aperte ex præcedenti, & ex tractatis supra questione 5. & 6. vbi probatum est assumptisse Christum omnes proprietates humanæ naturæ, & quidquid in illa plantauit: & in specie declaratur contra secundum errorem supra citatum: quia sicut corpus Christi caruit gloriæ immortalitate, impassibilitate, ita etiam caruit claritate, & agilitate, fuit ergo corpus eius graue, sicut sunt nostra, sequitur enim hæc proprietas naturaliter ex humani corporis compositione, nisi supernaturaliter impediatur, non est autem impedita in corpore passibili, cuius signum certissimum est, quia corpus illud ambulando fatigabatur, vt constat Ioan. 4. illa enim defatigatio ex grauitate, & corporis corruptione prouenit. Eadem autem ratio est de similibus proprietatibus.

D. Thomæ

Ioan. 4.

Ad fundamentum primi erroris ex dictis patet responso, quod enim Deum deceat non ex humano sensu, sed ex diuina sapientia, & bonitate iudicandum est: passibile ergo corpus, quamuis de se non esset conueniens Deo, tamen ne per se fuit indecens, & ad redemptionem nostram, virtutisq; exemplum, fuit maxime decens. In verbis autem illis: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, non est sermo de passione, aut morte humani corporis, sed de corruptione.

ruptione corporis iam emortui, per putrefactionem vel resolutionem in elementa: hæc enim corruptio in corpore Christi locum non habuit.

Ad fundamentum secundi erroris respondetur, sicut in transfiguratione communicata fuit ad breve tempus humanitati Christi quædam claritas, vel eiusdem rationis, vel aliquo modo similis claritati corporis gloriosi, ut infra suo loco dicemus: non tamen propterea putandum est, Christum habuisse illam claritatem tota tempore vitæ suæ: ita cum aliquando ambulavit super aquas, communicavit corpori suo quoddam vestigium agilitatis corporis gloriosi, non tamen propterea existimandum est, toto tempore vitæ suæ illam dotem habuisse. An vero pro illo paruo tempore communicata sit illi corpori, propria agilitas corporis gloriosi, quamquam Abulen. Matth. 14. quaestio 153. id affirmet; incertum est tamen, disputatione enim præcedenti assignauimus duos alios modos, quibus id fieri potuit absque qualitate alia, vel mutatione facta in ipso corpore Christi: qui eo probabiliore videntur, quo faciliores sunt. An vero effectus ille dicendus sit miraculosus, vel potius connaturalis illi corpori ratione vniuersi, vel ratione gloriæ ipsius animæ, dicemus latius infra quaest. 45. de Transfiguratione tractantes. Nunc breuiter dicitur, supposita dispositione illius corporis, & priori miraculo, quo factum erat, ut ex gloria animæ gloria ad corpus non redundaret, illud fuisse simpliciter miraculosum opus, & præter naturalem conditionem talis corporis, ut loquuntur Hieronym. Chrysost. & alij Math. 14. & Dionys. 2. cap. de Diuin. nominib. & epistol. 4. ad Caium, & Augustinus sermon. 185. de tempore, & Hilar. 10. de Trinit.

Abulen.

Hieronym.
Chrysost.
Dionys.
August.
Hilar.

SECTIO II.

Virum assumpserit Verbum omnes perfectiones connaturales humano corpori, vel potius defectus aliquos illis repugnantes.

Diximus potest esse hæc perfectio, aut defectus, scilicet aut per modum actus primi, seu permanentis formæ, vel habitus, vel passibilis qualitatis, aut per modum actus secundi, seu actionis, & passionis transeuntis.

Dico ergo primo, assumpsisse Christum corpus humanum, perfectum, & bene dispositum iuxta conditionem, & statum ex natura rei debitum tali corpori: unde non assumpsit defectus huic dispositioni, & perfectioni repugnantes. Hæc est mens D. Thom. hic articulo 4. & aliorum Theologorum in 3. distinct. 15. & Bonauent. articulo 1. quaest. 1. & Ricard. quaest. 2. & 3. Durand. q. 1. Etratio generalis reddi potest, quia hæc perfectiones, cum pertineant ad debitam compositionem humani corporis, per se debebant, & conueniebant, corpori humano perfecto: aliunde vero defectus repugnantes huic perfectioni, cum non consistant in aliqua actione, vel passione, non conferebant ad meritum, vel satisfactionem, non ergo oportebat illos assumi. Sed in particulari hoc melius explicatur, sequitur enim ex hac conclusione, assumpsisse Christum optimum temperamentum, seu complexionem humani corporis, ut ex ratione facta constat. Et præterea, quia tale corpus debet perfectissimæ animæ, habenti perfectam intelligentiam, huiusmodi autem erat anima Christi, ut supra ostensum est: ac denique quia defectus huius perfectionis nihil ad redemptionem nostram deseruire poterat.

Secundo ex eadem conclusione colligitur, assumpsisse Christum perfectam corporis pulchritudinem, quam in corpore humano, ac virili esse oportebat: quod sine causa, ac temere negare ausus est Michael Medina, lib. 2. de Recta in Deum fide, capit. 7. Est enim hæc communis sententia Sanctorum, ad quam

Michael
Medina.

acommodari potest illud Psalm. 44. *Speciosus forma præstitit bonum*: nam licet Basil. lib. 1. & Cyrillus li. 1. bro quinto sup. 53. cap. Isai. de pulchritudine diuinitatis hunc locum intelligant, Theodoretus vero, Remigius, & Arnobius ibi, & Gregorius libro 1. Regum, cap. 1. de pulchritudine gratiæ exponant: tamen de pulchritudine corporis interpretantur Augustinus & Cassiodorus ibi, & Bernardus sermone 1. de omnibus Sanctis Chrysostomus homilia. 18. in Matth. ubi de hac pulchritudine Christi pulchritudo, inter alia inquit: *Sicut insignis perficiendus miraculis fuit, ita visu gratiosissimus fuisse dicitur*: inferius vero tractans illud Isai. 53. *Non erat ei species, neq. decore*, dictum esse exponit, vel quia pulchritudo diuinitatis sub mortali corpore occultabatur, ut etiam Cyrillus supra citatus exponit. Vel quia ipsa corporis pulchritudo, per eiusdem macerationem, passionem, & tormenta quasi deformata, & abolita fuit, vel potius occultata, iuxta id, quod statim subiungitur: *Et quasi absconditus vultus eius*: Quam expositionem probauit etiam Tertullianus libro contra Iudæos, cap. de claritate gentium, & 3. libro contra Marcion. & Vigilii libro secundo contra Eutychem. & in eundem sensum tractat utrumque locum Hieronym. tom. 2. epistol. 160. ad Principiam, ubi inquit: *Absque passionibus corporis, vniuersis pulchrior est, virgo de Virgine, qui non ex sanguinibus, sed ex Deo natus est*. Et ad eundem sensum dicit Nazianzen. orat. 2. Pasche, in Resurrectione fuisse Christo Domino, pulchritudinem restitutam, non quod naturalis corporis forma, membrorum proportio, & natiuus color mutata fuerint: sed quia perfectum statum suum habuere, & per corporis gloriam quasi illustrata sunt, ut Diuus Thomas infra dicit, quaestione 54. articulo primo ad tertium. In hac denique sententia est Clemens Alexand. 3. lib. Pædag. cap. 1. & Abulen. Paradox. 1.

Ratione ita declaratur, quia ut Diuus Thomas docet 1. q. p. 59. articulo 8. & 2. quaest. 145. articulo 2. ex Dionys. cap. 4. de diuinis nominibus & Augustinus 21. de Ciuit. c. 19. pulchritudo ex tribus confulgit: primo ex omnium membrorum integritate, quam fuisse in corpore Christi Domini certissimum est, non enim accepit corpus mutilum, aut monstruosum sed in naturali sua integritate, sic enim docent Patres assumpsisse omnia, quæ in nostra natura plantauit. Secundo ex eorumdem membrorum debita proportione, & hanc fuisse etiam in corpore Christi facile persuaderi potest, tum quia tale corpus debebatur perfectissimæ animæ eius: tum etiam, quia oportuit ut corpus illud esset aptissimum ad omnia opera vitæ exercenda, quæ apertitudo multum ex dicta proportione pender: denique hoc facile colligitur ex forma eius: quam describit Nicephorus libro 1. primo hist. cap. vltim. Tertio requiritur ad pulchritudinem conueniens color natiuus, qui oritur ex optimo temperamento, & complexione: sicut ergo hæc fuit optima in Christi corpore, ita illi erat connaturalis perfectus color, & ad pulchritudinem corporis humani maxime accommodatus. Et confirmatur primo, quia corpus Christi Domini Spiritus sancti virtute fabricatum est, sed opera quæ Deus per se ipsum facit, sunt pulcherrima & perfecta, ergo. Confirmatur secundo, quia Adam, eo quod ab ipso Deo immediate effectus est, fuit pulcherrimus & optime dispositus, multo ergo magis Christus. Confirmatur tertio, quia corpus Christi futurum est veluti obiectum beatitudinis corporis nostri, ut supra disputatione 5. cum Augustino, & Cypriano dicebamus: est etiam futurum exemplar pulchritudinis omnium corporum beatorum; ergo est ipsum pulcherrimum. Tandem confirmatur, quia nec per se fuit expetibile, ut Christus hac perfectione caretet, nec defectus illius nostræ deseruirebat redemptioni.

Dices

Obiectio.

Dices, imo per se decessisse, & ad quandam reuerentiam Deo debitam pertinuisse, ne pulchritudinem afficeret, quia quamvis neque oportuerit illum esse deformem, tamē virum religiosum, & Evangelij prædicatorem nec pulchritudo decebat, sed quædam mediocris, grauiusque venustas. Respondetur. Naturalis & virilis pulchritudo cum summa virtute, & modestia coniuncta, maxime decet, & ornat quemcunque sanctum virum, & incitat ad reuerentiam, & dilectionem; præsertim quando propter labores, & afflictiones corporis ita est moderata, vt per se ostēdat, solum ab ipsa naturali compositione, & formatione perfecta proficisci, non ex humana curiositate, seu affectatione.

Responsio.

Dico secundo, non assumpsisse Christum omnes perfectiones naturales, commodas corpori humano, quæ in actione aliqua, vel passione, seu in actuali dispositione consistunt: sed potius defectus contrarios, cuiusmodi sunt fames, sitis, defatigatio corporis, & similes. Hæc conclusio hoc sensu explicata, est certa secundum fidem, & probatur satis ex testimoniis Scripturæ citatis sectione præcedenti. Et ratio est, quia D. Thom. est vsus, quia hi defectus sunt pœnæ accommodatæ ad satisfaciendum pro nobis, & præbenda exempla virtutis. Solum superest explicandum, quos ex his defectibus assumpsit: constat enim non assumpsisse omnes possibiles humano corpori, quia neque oportuit, neque conuenienter fieri potuit. In quo breuiter dicendum est primo, suscepisse passiones illas, quæ intrinsece oriuntur ex corpore mortali, & toti naturæ communes sunt: pertinebat enim hoc ad veritatem corporis mortalis, & ad fidem eius comprobendam. Suscepit deinde aliquas passiones, vel defectus ab extrinseca causa naturali, vel violenta provenientes, sic enim interdum passus est frigus vel calorem, flagellam, & crucem. Regula autem, seu mensura harum passionum fuit æterna Dei sapientia, qua definitum fuit, quid in hoc genere expediret suscipere. Vnde tandem dicitur, non accepisse quosdam defectus, qui vel indecentiam aliquam continent, vel communes non sunt toti naturæ, sed ex aliqua speciali imperfectione oriuntur, vt hic D. Thomas, & cum illo omnes Theologi docent.

D. Thom.

Nullū morbum neque ægritudinem assumpsit Christus.
D. Thom.
Abulens.
Caietan.
Glossa.
Lira.
Vai. 55.
Hieron.
August.
Basilius.

1 Petr. 2.
dubios.

Ex quo expeditur commune dubium, an in Christo fuerit morbus aliquis vt febris, aut morbus caducus, nō enim defuerunt qui assererent, Christum assumpsisse huiusmodi ægritudines, vt in omnibus fratribus assimilaretur. Sed est sententia temeraria, & piarum aurium offensiuā, eo magis, quo ægritudo Christo attributa maiorem imperfectionem, vel indecentiam continuerit. Dicendum ergo est, neque morbum, neque ægritudinem assumpsisse, vt sensit Diuus Thomas hic & alij in 3. dist. 15. & 16. & docuit etiam Abul. paradox. 3. cap. 21. Caiet. 2. tom. opuscul. opusculo 13. Glossa, Lyra, & alij expostores Matth. 8. vbi citatur illud Isai. 53. Vere languores nostros ipse tulit, qui exponunt, id est, non in se accepit, sed à nobis abstulit, & depulit: quod multi referunt ad virtutem miraculorum, per quam morbos hominum sanabat, vt videre est in D. Hieronym. super Isai. & August. tractat. 91. in Ioan. & Basilio in regulis breuioribus in 177. quamuis locus ille Isai. alium etiam literalem sensum habere possit, vt constat ex 1. epist. Petri cap. 2. Iuxta prædictum vero sensum videtur dixisse Athanasius, libro de Incarnat. ante medium, non decessisse, vt is qui ad tollendas infirmitates nostras veniebat, ægritudines susceperet: vnde cum, Iudas Christum vocat virum dolorum, & scientem infirmitatem, infirmitatem vocat ipsam passionem & corporis afflictionem, vt omnes Patres exponunt, non aliquem morbum, vel corporis ægritudinem. Ratio redditur à Diuo Thoma, quia morbus vel ægritudo non oritur nisi vel ex imperfecta corporis formatione, quæ in Christo locum non habuit, vt

Fr. Suarez Tom. 1.

constat, vel ex aliqua immoderatione in cibo & potu, aut ex alia simili causa, quæ quam longissime etiam à Christo abfuit. Dices interdum potest etiam provenire ex causa extrinseca, vt ex inclementia aeris, vel ex influentia cœli. Respondetur, corpus optime temperatum, quale fuit corpus Christi, facile resistere & superare huiusmodi iniuriam, vel intemperiem cœli præsertim quia huiusmodi causæ nimium violentæ facile poterant ab ipso Christo vitari, quod & expediens fuit, cum huiusmodi defectus, nec per se diuinam personam decerent, neque nobis essent necessarij, vel viles.

Obiectio 2a.

Responsio.

Sed dicit aliquis, ergo si Christus non fuisset per vim interfectus, nunquam fuisset mortuus, quod repugnat conditioni corporis mortalis. Sequela vero patet, quia nunquam contraheret morbum, aut ægritudinem, ex sententia autem Medicorum, non potest homo senio confici, aut naturaliter mori, nisi in illo aliqua ægritudo intercedat. Respondetur, nos tantum fuisse locutos de facto, nam de possibili, si Christus vsque ad senilem, & decrepitam ætatem viueret, fortasse non repugnaret, vt in aliquam ægritudinem incidere posset senem, & ad breue tempus, qualem eam Medici describunt accidere in iis, qui naturaliter senio confecti, quasi sponte sua occiderent. Secundo vero dici potest, esse disparē rationem de morte, & ægritudine, mors enim habet intrinsecam & sufficientem causam in ipsa naturali compositione, & conseruatione humani corporis, ex qua fit, vt naturalis calor, & humidum radicale paulatim remittantur, & debilitentur, & tandem deficiat: morbus autem vel ægritudo non habet sufficiens principium intrinsecum in ipsa natura, si corpus ipsum bene formatum sit, & conuenienter gubernatum. Illa enim remissio vel debilitas, quæ paulatim fit in ipsa naturali virtute, non habet rationem ægritudinis, sed naturalis dispositionis, in tali ætate conuenientis humano corpori. Quocirca sententia illa Medicorum, si vera est, iuxta communem vsum vitæ humanæ interpretanda est, per se autem & intrinsece non repugnat corpori humano vsq. ad mortem pervenire per actionem mutuam caloris naturalis, & alimentij, &c. absque propria ægritudine intercedente: nam dispositio naturalis, in qua potest humanum corpus conseruari, habet certum terminum saltem extrinsecum, & statim ac illud attingit, deficit, & vnio corporis & animæ dissoluitur. Potest autem remissio naturalis caloris vsque ad illū terminum paulatim pervenire absque ægritudine, quia in singulis ætatibus potest corpus illud in conuenienti dispositione conseruari. Nam sicut pueritia conueniens est talis dispositio, sic etiam senectuti, & aliis ætatibus: morbus autem proprie consistit in defectu naturalis & conuenientis dispositionis corpori humano in tali statu vel ætate debite. Poterat autem corpus Christi nunquam carere huiusmodi dispositione, & nihilominus naturaliter mori, vt explicatum est.

Christum

absque vlla

ægritudine

tandem mor-

veretur, si per

vim non ef-

fuit interfectus.

Sunt

SECTIO III.

An hi defectus fuerint necessarij, vel voluntarij Christo Domino.

Vbiū hoc solum habet locum proprie loquendo in his defectibus, qui in aliqua actione, vel passione consistit. Et ratio dubij sumi potest ex Damasc. lib. de hæresib. in 84. vbi inter hæreses Iuliani, Damasci & aliorum ponit, quod dicerent has passiones non fuisse in Christo sicut in nobis, quia in nobis necessaria, in Christo autem voluntariæ extiterunt. In contrarium vero est, quia ipse Damasc. lib. 3. de fid. c. 20. dicit has passiones fuisse in Christo voluntarias, imo & supernaturales eas vocat, quia non præueniebant voluntatem: quamuis etiam appelleret illas naturales, quia sunt secundum naturam.

Damasc.

Iulianus.

Damasci.

Yy

Suppo.

Supponendum vero est, sermonem esse de voluntario, prout ab actu voluntatis humanae denominatio hanc sumi potest, nam secundum voluntatem diuinam constat, hos defectus fuisse voluntarios, cum in ipsa assumptione voluntaria corporis passibilis, tum etiam in se ipsis: quia dum Christus patiebatur, hoc ipsum diuina voluntas volebat & efficiebat, loquimur enim de innoxiiis & poenaliibus defectibus, ut erant omnes Christi passionibus. Respectu vero voluntatis humanae, dupliciter potest aliquid dici voluntarium, scilicet, vel ut effectus seu actus, cuius principium est voluntas, vel ut obiectum tantum, quod voluntas ipsa amat, seu acceptat, quamuis illius principium non sit. Denique voluntas humana Christi considerari potest, vel secundum naturales vires suas, vel ut instrumentum Verbi, habens vim ad efficienda opera, quae naturam superant.

Hi defectus
quomodo
Christo ne-
cessarii fue-
runt.

D. Tho.
M. 1. 1.
Alen.

Dico ergo primo, Supposita dispositione naturali, in qua corpus Christi passibile formatum est, & positae etiam aliis naturalibus causis, necessitate quadam naturali patiebatur Christus hos defectus, ut famem, sitim, &c. nec poterat eos per vires naturales humanae voluntatis impedire: & hoc modo dicitur Christus assumpsisse necessitatem subiaccēdē: his defectibus, & eodem sensu dicuntur necessarii. Hic est sensus D. Thomae hic, art. 4. & praeced. quaest. art. 3. in quo consentiunt Theologi in 3. dist. 15. & 16. Martini q. 11. Alexand. Alen. 3. p. q. 17. memb. 1. & hoc sensu videtur Damasc. contrariam sententiam ut haereticam damnare: videntur enim illi haeretici dixisse, tale fuisse corpus Christi, taliterque dispositum, ut etiam ab igne sibi applicato non necessario calefieret, etiam icluso miraculo, & ideo dicebant non paruisse naturae legibus. Quae sententia eo haeretica est, quod in re negat, corpus Christi vere fuisse passibile, unde ex contrario principio fidei, sufficienter probatur conclusio. Quae confirmatur, nam corpus Christi vere & naturaliter indiguit cibo & potu: quando ergo haec deerant, famem & sitim naturali necessitate sentiebat. Quare, quod quadraginta diebus fuerit sine cibo, in miraculis eius à Patribus numeratur. Unde etiam confirmatur: nam augmentum, & decrementum, & diuersarum ætatum successio ex naturali necessitate inuenta est in corpore Christi: ergo alteratio ex calore naturali, vel ex alimento, & alia similes naturali necessitate fuerunt in ipso: ergo & naturales defectus, qui hinc sequuntur, ut famem, sitim, defatigatio, & denique mors naturaliter esset secuta, nisi per violentiam anticipata fuisset, ut August. docuit lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. c. 29. & D. Tho. in 3. dist. 16. q. 1. art. 2.

August.
D. Thom.
Quomodo
fuerint vo-
luntarii.

Dico secundo: Nihilominus hi defectus fuerunt Christo homini voluntarij: primo per modum obiecti voluntarie acceptati & amati, vel in ipsa met assumptione corporis passibilis, iuxta illud: Corpus autem adaptasti mihi, tunc dixit, ecce vnio, in capite libri scriptum est & me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus voluit, vel in singulis occasionibus, cum se offerebat opportunitas, vel necessitas sustinendi huiusmodi defectus. Secundo, per modum effectus, aliquo modo procedentis ab ipsa met voluntate Christi, vel quia occasiones, & causas huiusmodi defectuum voluntarie assumebat, ut cum ieiunabat, & usque ad defatigationem ambulabat: vel quia saltem ut instrumentum Verbi poterat has passionibus impedire, & nolebat: & hic est sensus Damasceni secundo loco supra citato, & Sophronij in Epistola Synodali, quae refertur VI. Synod. Act. 11. D. Thomae hic, & aliorum. Quae doctrina, & per se satis probata est, & confirmari potest, quia Christus assumpsit hos defectus, ut per eos pro nobis satisfaceret: oportuit ergo, ut essent voluntarij, alias non fuissent ad satisfaciendum idonei.

Sophron.
VI. Synod.
D. Thom.

Et ex his sequitur primo, huiusmodi defectus seu passionibus non fuisse Christo simpliciter coactas,

quia, licet essent contra appetitum naturae, & interdum contra naturalem aliquam displicentiam voluntatis, ut natura est: fuerunt tamen consentanei deliberatae, atque absolutae, & efficaci voluntati, à qua habet actio, ut sit voluntaria simpliciter, quamuis sit inuoluntaria aut violenta secundum quid, ut constat ex 3. Ethic. cap. 1. & 1. 2. q. 6. artic. 6. de quare plura dicemus inferius, quaestione 18. Secundo ex his intelligi & conciliari possunt varia Theologorum dicta: affirmant enim aliqui, Christum Dominum non fuisse ita subiectum necessitati harum affectionum, quin fuerit in eius voluntate positum illas non sentire, etiam si contraria agentia essent sufficienter applicata, quomodo loquitur Abulensis supra. Alij vero omnes contrario modo loquuntur. Sed primum est verum, considerata Christi voluntate, ut Verbi instrumentum est. Secundum vero, consideratis solum naturalibus viribus humanae voluntatis. Deinde dicunt aliqui, passionibus has fuisse Christo voluntarias, solum voluntate concomitanti, ut Bonauent. Almain. & alij loquuntur, quod quidem est verum in aliquibus passionibus, & conderata voluntate Christi, solum iuxta vires naturales: nihilominus tamen, considerata illa voluntate ut instrumento Verbi, omnes defectus possunt dici voluntarij, etiam antecedenter, & multi eorum fuerunt eodem modo voluntarij, etiam respectu voluntatis per vires suas naturales operantis, ut explicatum est.

SECTIO IV.

¶ Vnum assumpsit Christus sui corporalis localem circumscriptionem & mutationem.

Hæc quaestio in superioribus est virtute definita, & ideo fortasse à D. Thoma, & aliis antiquis Scholasticis praetermissa est, quia eo tempore non erat in dubium reuocata: nunc vero propter nouos nostri temporis hereticos necessario disputanda est, breuiter tamen iuxta scholasticum institutum. Dicunt ergo isti haeretici, non assumpsisse Christum Dominum corporis sui circumscriptionem, seu definitionem ad vnum locum, sed ex vi vnionis illi communicatum esse, ut sit vbique, sicut ipsa diuinitas, quamuis non in omnibus locis visibili modo apparuerit. Unde fit, consequenter eos esse dicturos, illud corpus nunquam fuisse vere, & in re ipsa localiter motum: quæquam enim in hoc loco interdum se ostenderit, & in alia occultauerit, nunquam tamen, vel priorem locum reliquit, vel nouum occupauit. Huius erroris primus autor cõfetur fuisse laeobus Faber Stapulensis super 1. ad Cor. 12. vbi dicit: corpus Christi replere caelum & terram, & idem habet in c. 14. Ioan. Et ab hoc creditur hausisse hunc errorem Lutherus, quem sequutus est Brearius, Kemnitius, & alij huiusmodi, ut refert Præteolus, sub eorum nominibus, Lindanus Dialog. 2. Sanderus lib. 7. de visib. Monarch. hæres. 205. & 655. & Claud. de Sanct. in lib. de Eucharist. repetitione 4. & ex nostris optime, & nuperrime Robertus Bellarminus lib. 3. de Incarnat. cap. 1. Fundamentum horum hæreticorum fuit, quia ex vnione hypostatica consequi necessario putant, ut proprietates vnus naturæ, alteri communicatæ sint, non solum in concreto, respectu personæ, per communicationem idiomatum, sed etiam in abstracto, per realem communicationem proprietatū & naturarum inter se. Sed obseruandum est, hereticos non eodem modo, neque cõstanter hunc errorem asseruisse: principio enim dixisse videtur, Christi humanitatē ab ipsa incarnatione, & ex vi vnionis habuisse hanc, quam vbiquitatem vocant: postea vero, quia videbatur hoc Scripturis repugnare, dixerunt, hanc vbiquitatem dupliciter haberi posse, primo quasi in radice, vel in actu primo, & hoc modo habuisse illam ab initio incarnationis: quod nihil

nihil aliud esse videtur, quam fuisse illi debitam hanc perfectionem ratione vnionis, quamquam propter statum corporis falsibilis re ipsa non statim communicata fuerit. Secundo ergo modo haberi potest hanc proprietatem actu, & in se ipsa, quod vocant ipsi, illam habere in actu secundo, non enim possunt hi termini in proposito habere alium sensum: quia in attributis, quae non constituent in operatione, neque in principio illius, sed in aliqua formali perfectione, ut est hoc, de quo agimus, scilicet, immensitas, vel vbiuitas, actus secundus nihil aliud esse potest, quam ipsum esse actuale, & formale talis perfectionis: hoc ergo modo dixerunt postea, vbiuitatem non esse communicatam humanitati Christi, vsque ad Resurrectionem, vel, vt alij tandem dixerunt, vsque ad Ascensionem.

Dico tamen primo, Christi humanitatem non esse nunc, neque vnquam fuisse vbiue, atque adeo corpus eius loco circumscribi, sicut alia. Quae veritas, simpliciter loquendo, de fide est, & probatur primo, nam de tempore, quo fuit viator, dicitur Ioan. 6. Cum vidisset turbas, quod Iesus non esset ibi, & cap. 11. Vbi erat, quia non eram ibi. De tempore vero post mortem, & Resurrectionem dicitur Ioan. 16. Relinquo mundum, & vado ad Patrem, Marc. 16. Surrexit non est hic, & Act. 1. Assumptus est in caelum, & infra. Sic venit, quemadmodum vidisset eum euntem in caelum. Quod testimonium etiam de tempore post Ascensionem procedit, & Act. 2. dicitur, animam Christi aliquando fuisse in inferno, non tamen semper ibi mansisse, non ergo erat vbiue: & eodem modo dicitur in Euangelij, corpus depositum esse de Cruce, & positum in Sepulchro: & satis significatur, tunc alibi non fuisse. Respondent haeretici, in his locis sermonem esse de existentia visibili corporis Christi in loco, & ideo negari fuisse alicubi, quia ibi non erat localiter, seu visibiliter: & eodem modo exponunt, ascendisse, vel descendisse, &c. Sed haec fuga primo est contra vim & proprietatem verborum: secundo contra communem expositionem, & traditionem Patrum: tertio contra veritatem mysterij incarnationis Christi, sequitur enim, non vere, sed secundum apparentiam quandam fuisse factam, vt, v. g. sequitur, non vere fuisse inclusum Christi corpus in vero Virginis, neque vere ex illo per humanam Natiuitatem exiisse, neque vere fuisse ingressum ad discipulos, ianuam clausis: & alia similia, quae sine vera loci mutatione, & reali existentia in vno, & non in alio, proprie ac vere intelligi non possunt. Quarto est in rigore contra veritatem illarum locutionum, non enim vere dici potest, Christum non esse hic, signata hostia consecrata, solum quia ibi non est visibiliter, seu localiter. Sed retorquent hoc argumentum haeretici, nam Ioan. 16. dicit Christus, se relinquere mundum, & ire ad Patrem, quamuis reuera manserit in Eucharistia, ergo dicitur relinquere, solum quia visibiliter in mundo non mansit. Respondetur: illa verba proprie, & vere, & cum toto rigore intelligi, nam Christus, ascendendo in caelum, vere reliquit mandum, illi autem reuera suam realem praesentiam, non solum secundum visibilem apparentiam, sed secundum realem existentiam in mundo: reliquit autem Christus mundum, seu existentiam in mundo, quod erat ex vi illius motus, & ascensionis: quod vero aliunde, scilicet, per illud mysterium, & alio modo in mundo manserit, est accidentiarum ad illorum verborum veritatem, & fortasse, quando Christus ascendit, pro illo tempore in nullo inferiori loco mansit, quia nulla tunc erat hostia consecrata: quamquam etiam hoc sit per accidens. Adde, illa verba satis proprie intelligi de morte: per quam Christus proprietate reliquit mundum, vt in eo non manserit secundum humanitatem.

Secundo arguuntur traditione Conciliorum, & Patrum, in VI. enim Synod. act. 11. expresse dicitur, assumpsisse Christum corporis circumscriptionem.

Fr. Suarez Tom. II.

hem, & in VII. Synod. act. 6. tom. 6. vbi damnatur VII. Synod. nonus canon Concilii abul Constantini, & ex professo varijs testimonijs Scripturae probatur, Christum ante & post Resurrectionem fuisse loco secundum humanitatem circumscriptionem, & inferius act. 7. post fidei definitionem anathemate feriuntur, qui hoc negant: & in Concil. Lateranensi. sub Conc. Lat. Marth. 1. can. 4. Si quis non confitetur Christum circumscriptionem corpore, & incircumscriptionem Deitate, condemnatus sit. Praeterea ex Graecis Patribus Athanas. contra Arium, disputatione coram Probo, tomo 4. ex hac proprietate, corporis Christi veritatem confirmat, Cyril. Alexand. lib. 9. in Ioan. cap. 21. dicit, Christum corpore nobis abesse, & Diuinitate esse praesentem. Idem repetit lib. 11. cap. 21. & similia habet Cyril. Ierosol. catechesi 14. & Theodor. dialog. 2. qui refert in eandem sententiam Gregor. Nissen. orat. contra Eunomium: & Damascenus 3. lib. de fide, ca. 7. Cav. ne, inquit, minuitur, & contrahitur, nam secundum diuinitatem, omnem refugit circumscriptionem: neque enim corpus vna cum diuinitate, qua incircumscriptionem, se porrigit, & extendit. Idem Damasc. orat. de Transfigurato. Corpus, inquit, illud sane circumscriptionem, & definitum erat: neque enim, cum in Thabor staret, extra montem pertingebat, at Deitas caput omnem excedebat, atque vltra omnia erat. Ex Latinis Aug. serm. 58. de Verbis Domini, circa illud Ioan. 14. Vado ad eum, qui misit me. Ibat, inquit, per id, quod in vno loco erat, manebat per id, quod vbiue erat, & tractat. 50. in Ioan. dicit, Christum nunc nobis esse absentem, & praesentem, quia suum, inquit, corpus intulit in caelum, maiestatem non abstulit mundo. Idem epist. 57. ad Dardanum, & Ambros. lib. 2. de fide, cap. 4. in principio, Hieron. 3. to. epist. 148. ad Marcellam, quae incipit, Magni nos prouocas questionibus, & Gregor. hom. 28. in Euangelia, tractans illud Ioan. 4. Erat quidam Regulus, &c. Corporalem, inquit, praesentiam Domini querebat, qui per spiritum nusquam deerat: minus itaque, in illum credidit, quem non putauit posse salutem dare, nisi praesens esset & corpore. Idem docet Fulgen. lib. 2. ad Trasimundum cap. 17. & Vigilius, lib. 1. & 4. contra Eutychetem, & alij Patres frequenter, tractantes de Ascensione Christi Domini, & descensu ad inferos, & alijs similibus mysterijs.

Vltimo arguitur ratione, quia, vel hanc proprietatem communicata esset humanitati necessario ex vi vnionis, vel voluntarie: neutrum dici potest. Primum probatur primo, quia vnio hypostatica non requirit, vt proprietates vni naturae communicentur alteri, nam hoc esset confundere naturas, & in errorem Eutychetis incidere, vt patet ex dictis quaestione secunda, disputatione septima, & in quaestione praecedenti, disputatione 31. in principio. Et probatur aperte, quia alias ex vi vnionis, humanitas etiam esset aeterna, sicut dicitur esse immensa, & necessario existeret in omnibus temporibus, praeteritis, & futuris, sicut dicitur esse in omnibus locis: similiter esset omnipotens, & alia quae plane sunt impossibilia. Secundo, quia alias fatendum esset haeretici, humanitatem à principio conceptionis esse vbiue, non tantum aptitudine, sed actu, quod multi eorum non audent concedere, quia repugnat veritati mysteriorum ad humanitatem pertinentium: quomodo enim vere mortuus esset, & descendisset ad infernum secundum animam, & non secundum corpus, iaculisset vero in sepulchro secundum corpus, & non secundum animam, nisi secundum eas partes circumscriberetur, aut definiretur loco, ita vt partes illae inter se loco distarent? Tertio declaratur exemplo naturali, nam, licet materia capitis, v. g. sit substantialiter coniuncta toti animae, non inde necessario sequitur, illam esse, vbiunque est anima. Secundum de voluntaria communicatione, facile excluditur, primo, quia communicatio huius vbiuitatis, prout ab ipsis haeticis intelligi videtur, & eo

Yy 2 tradi-

Vbiuitas
ab haeticis
ponitur, re-
pugnat rei
creatae.

traditionem inuoluit, & ipsi mysterio Incarnationis repugnat, volunt enim, ipsammet immensitatem diuinitatis, formaliter communicari humanitati, & per se ipsam ita illam perficere, ut faciat illa ubique existere; quod plane intelligi non potest sine naturarum confusione, talique vnione, ut ex eis una natura resulteret. Quod si intelligant, humanitatem constitui ubique per quandam participationem creatam immensitatis Dei, ita tamen, ut aequae sit ubique, ac ipse Deus, adhuc mihi videtur omnino impossibile, quod affirmant; nam Deus ita est ubique, ut substantia eius sit quasi infinite diffusa, quod a nobis explicatur, vel in ordine ad spatia imaginaria, vel ad corpora, quae in maiori & maiori quantitate in infinitum creari possunt, in quibus omnibus Deus esse potest sine ulla sui mutatione: hinc enim aperre constat, ipsam diuinam substantiam ita in se esse, ut ita dicam dispositam, seu immensam, ut sit actu veluti infinite diffusa: hic autem modus immensitatis, & existendi ubique, cum in suo ordine sit actu infinitus, non minus repugnat corpori, quam infinita quantitas vel extensio.

Quod si tandem intelligant, humanitatem Christi ex speciali, & voluntario dono Dei esse ubique, id est in omnibus rebus creatis, quae intra finitum spatium terminantur: non intelligi hoc esse impossibile, aut implicare contradictionem, ut aperte ostendit. Eucharistiae mysterium: sicut enim nunc Christi humanitas realiter est praesens multis locis ita potuisset toti vniuerso fieri praesens: nullam enim maiorem repugnantiam inuoluit, imo ex illius mysterij posset in vniuerso orbe existere, si in omnibus partibus vniuersi esset materia, ex qua illud mysterium conficitur, & a debito ministro: conuenienti intentione forma applicaretur. Dicere autem, de facto ita esse, non solum est temerarium, quia est contra Patrum autoritatem, & Theologorum omnium, & sine fundamento: sed etiam haereticum, quia est contra Scripturam, & contra alia mysteria fidei, ut explicatum est, & specialiter contra mysterium Eucharistiae, prout ab vniuersa Ecclesia intelligitur, quia, posita illa vbiuitate, non magis esset praesens corpus Christi in speciebus panis, quam in aliis rebus: neque quoad realem praesentiam magis sumeretur a nobis in Eucharistia, quam in communi cibo: unde ad illam efficiendam, nulla esset necessaria conuersio seu transubstantiatio, quae omnia sunt contra fidem. Unde concludo, Christi corpus tantum esse in caelo, & in Eucharistia; seclusoque eodem Eucharistiae mysterio, non solum non esse corpus Christi ubique, sed neque etiam esse alibi, quam in caelo: & contrarium asserere, esset magna temeritas, sine fundamento, & contra omnes Theologos in 3. d. 22. d. Tho. infra, q. 52. artic. 3. & 4. contra Gent. c. 49.

Sed contra primo, Verbum est ubique: ergo & Christus est ubique per communicationem idiomaticam, ut Patres communiter loquuntur, August. ser. 14. de Verb. Apostoli, & Chrysost. homil. 17. in ad Hebr. Ambros. lib. 7. in Luc. Hieronym. contra Vigilantium, & alij communiter: ergo & ipsa humanitas est ubique: probatur haec consequentia vltima, quia Christus ubique est homo. Respondetur ex S. Thoma, distinct. 22. quaest. 1. artic. 2. & aliis Theologis ibi, ut Christus dicatur esse ubique per idiomaticam communicationem, satis esse, ut ipsa persona sit ubique, sicut, ut dicatur eternus, satis est, ut ipsa persona aeterna sit. De illa autem propositione, *Christus ubique est homo*, si illud, *ubique*, cadat supra praedicatum, *homo*, D. Thomas dicit, in rigore esse falsam, quia praedicata formaliter tenentur: & ideo illud, *ubique*, cadit supra humanitatem ipsam, & significat, illam esse ubique, seu ubique copulari tali supposito. Sicut haec etiam est falsa propositio, *Christus ab aeterno est homo*, propter eandem rationem; & haec si-

militer *Anima, vbiunque est, informat manum*, & si vnus homo esset in pluribus locis, & in eis haberet proprietates diuersas, v. g. in vno albedine, & in alio nigredine, falsum esset dicere, illum vbiunque esse album: & nunc falsum est dicere, corpus Christi, vbiunque est, esse extensum in ordine ad locum. Quae omnia vera sunt, intellecta propositione in illo sensu, qui videtur maxime formalis, & rigorosus: sitamen aduerbium, praecise coniungatur cum subiecto, admitti potest illa locutio: sensus enim erit, hoc suppositum, quod est vbiunque, esse hominem, & de illo vbiunque existente vere dici posse esse hominem.

Sed contra secundo, quia Matth. vlt. dicit Dominus, *Data est mihi omnis potestas in caelo, & in terra*; ergo saltem ex tunc accepit hanc vbiuitatem, seu praesentiam in caelo, & in terra. Respondetur. Iam supra diximus, illam potestatem humanitati Christi communicatam, non esse ipsammet omnipotentiam Dei, sed quandam potestatem excellentiam in omnibus creaturas, quae non requirit realem praesentiam in omnibus creaturis: existens enim in caelo potest omnibus imperare, easque immutare, ut supra declaratum est.

Sed contra tertio, nam ad Ephes. 4. dicitur Christus ascendisse in caelum, ut adimpleret omnia; ergo saltem ex tunc cepit esse in omnibus rebus. Respondetur, satis ineptum esse, exponere hunc locum de corporali praesentia, ita ut Christus dicatur omnia impluisse, quia omnibus rebus cepit esse localiter praesens. Ut quid enim Christus ascendisset in caelum, ut inde veluti localiter se diffunderet, omnia repleat? vel si iam hoc modo replet omnia, non vere postea descendet ad iudicium, ut dicitur Act. 1. Ascendit ergo Christus, ut adimpleret omnia, id est, ut suam peregrinationem concluderet, ac terminaret, ut ait S. Thom. Vel, ut adimpleret omnia, de quibus de illo praedicta erant, ut Chrysost. & Hieronym. exponunt, iuxta communem phrasin Scripturae, ut Hier. Luc. 24. *Necesse est implere omnia, quae scripta sunt de me*. Luc. 24. Vel tertio, ut rerum omnium testimonio se dominum vniuersorum ostenderet, ut exponit Bernard. Bernol. serm. 2. de Ascensione. Vel quarto, ut inde impleret Ecclesiam donis gratiae, & Spiritus sancti, ut dicit Ambr. epist. 16. Vel denique, si velim us hoc ad locum praesentiam referre, exponi potest, ut impleret omnia non simul, sed successiue, neque existendo in omnibus indiuiduis locis, sed in omnibus partibus mundi, nunc in terra, postea in aere, ac tandem in caelo, ut videtur Oecumenius exponere.

Dico secundo, Christum secundum corpus vere fuisse localiter motum. Haec conclusio habetur in terminis in VI. Synod. Act. 11. & sequitur euidenter ex praecedenti, & eisdem testimoniis, & rationibus probanda est: solum eam distingo, ut exponam difficultatem hic occurrentem, scilicet, quo modo potuerit Christus secundum humanitatem substantia liter vnitam Verbo mutare locum, nulla facta in Verbo mutatione. Dicitur fortasse, hoc ideo fieri potuisse, quia Verbum est ubique, non autem humanitas. Sed in hoc est difficultas, quia, cum humanitas sit substantialiter vnita Verbo existenti in hoc loco, non videtur fieri posse, ut haec humanitas transferatur ab vno loco in alium, nisi vel simul secum quasi deferat Verbum sibi vnitum, & consequenter Verbum ipsum per accidens moueatur, vel ipsa vnio ad Verbum quasi continue dissoluatur ab ipso Verbo, prout est in illo loco: & iterum fiat in eodem Verbo, prout est in alio. Exemplo res explicatur, nam licet tota anima sit in singulis partibus corporis, si tam intelligamus, parit vnā moueri ad locum alterius per penetrationem, nihilominus intelligamus animam per accidens moueri simul cum parte mota, propter vnionem substantialem indissolutam, quamuis in alia parte tota anima existeret. Aliud exemplum est

*Vbiuitate
prout dicit
esse in omni-
bus creatu-
ris, humani-
tati Christi
tribuere ha-
reticum est.*

D. Thom.

Obiectio.

*August.
Chrysost.
Ambr.
Hieron.*

Respons.

D. Thom.

Haec propo-

sitio, Chri-

stus ubique

est homo,

quonodo

intelligenda

nam si hostia consecrata circulari motu intra suam sphaeram mouetur, corpus Christi per accidens mouetur, propter vnionem enim speciebus, quamuis totus sit praesens in toto illo loco, & totus in qualibet parte. Respondetur, sicut Verbum diuinum vbiq; est vnum & indiuisibile, ita vnionem humanitatis ad ipsum, vbiq; existat, eandem omnino esse: vnde, sicut corpus, vel humanitas mutat locum, ita secum deferit illam vnionem ad Verbum; & ita, immanente proxius eadem vnione, intelligitur fieri mutatio in humanitate, nulla facta mutatione in Verbo. Et exempla adducta potius valent ad hoc confirmandum, quam ad impugnandum, quia anima non potest moueri ad locum in quo antea erat, cum non intelligatur in eodem loco bis esse, etiam si forte in eodem loco informet duas materias, se penetrantes secundum locum. Et eodem modo corpus Christi Domini, in casu posito non mouetur per accidens, quia semper retinet eandem praesentiam secundum se totum, & secundum omnes partes suas ad species, & ad omnes partes earum, & eandem relationem distantiae & propinquitatis ad cetera corpora.

Dices, ergo per eommunicationem idiomatum concedi posset, Verbum aut Deum esse mutatum, quando Christus mutatus est. Aliqui respondet, hoc posse, & debere concedi in determinatis seu specificis mutationibus: sic enim dicim⁹, Deum ambulasse, passum esse, ascendisse, &c. quia istae locutiones nihil inuoluunt, aut requirunt ad suam veritatem, quod repugnet Verbo secundum se: quia satis est, vixilla praedicata conuenienter personae ratione alicuius naturae, & ex ipsis terminis satis indicatur, illa non dici de Verbo secundum se, sed ratione naturae assumptae: at vero sub generali nomine mutationis, negant illam locutionem: quia non est vitata a Patribus, & Conciliis. Mihi tamen videtur, esse ambiguam & distinguendam, ne videatur significare, Deum in se ipso mutatum esse ratione huius mysterij: nam in hoc sensu falsa est, & negatur a Patribus; si tamen sit sermo de sola communicatione idiomatum, propter mutationem factam in humanitate iam vnita Verbo, vera est propositio, vt argumentum probat, neque habet maius inconueniens, quam quod Deus sit mortuus, vel genitus ex virgine.

QVÆSTIO XV.

De defectibus animæ, à Christo assumptis, in decem articulos diuisa.



Einde considerandum est de defectibus pertinentibus ad animam.

Et circa hoc queruntur decem.

Primo, vtrum in Christo fuerit peccatum.

Secundo, vtrum in eo fuerit fomes peccati.

Tertio, vtrum in eo fuerit ignorantia.

Quarto, vtrum anima eius fuerit sensibilis.

Quinto, vtrum in eo fuerit dolor sensibilis.

Sexto, vtrum in eo fuerit tristitia.

Septimo, vtrum in eo fuerit timor.

Octauo, vtrum in eo fuerit admiratio.

Nono, vtrum in eo fuerit ira.

Decimo, vtrum simul fuerit viator & comprehensor.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Christo fuerit peccatum.



Primum sic proceditur. Videtur, quod in Christo fuerit peccatum. Dicitur enim in Psal. 21. Deus meus respice in me, quare me dereliquisti, longe à salute mea verba delictorum meorum. Sed haec verba dicuntur ex persona i-

psius Christi, vt patet ex hoc, quod ipse ea in cruce protulit. Ergo videtur, quod in Christo fuerint delicta.

2. Præterea, Roma. 5. dicit Apostolus, quod in Adam omnes peccauerunt: quia, scilicet, in eo originaliter fuerunt. Sed Christus etiam originaliter fuit in Adam. Ergo in eo peccauit.

3. Præterea, Apostolus dicit Heb. 2. quod in eo, in quo Christus passus est & tentatus, potens est & his, qui tentantur, auxiliari. Sed maxime indigebamus auxilio eius contra peccatum. Ergo videtur, quod in eo fuerit peccatum.

4. Præterea, Secundæ ad Cor. 15. dicitur, quod Deus eum, qui non nouerat peccatum, scilicet, Christum, pro nobis peccatum fecit. Sed illud vere est, quod à Deo factum est. Ergo in Christo vere fuit peccatum.

5. Præterea, Sicut Aug.⁸ dicit in libro de Agone Christiano, in homine Christo se nobis ad exemplum vite præbuit Filius Dei: sed homo indiget exemplo, non solum ad recte viuendum, sed etiam ad hoc, quod poeniteat de peccatis. Ergo videtur, quod in Christo debuerit esse peccatum, vt, de peccatis poenitendo, poenitentia nobis daret exemplum.

Sed contra est, quod ipse dicit Ioannis 8. Quis ex vobis arguet me de peccato?

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est, Christus suscepit defectus nostros, vt pro nobis satisfaceret, & vt veritatem humanæ naturæ comprobareret, & vt nobis fieret exemplum virtutis. Secundum quæ tria manifestum est, quod defectum peccati assumere non debuit. Primo quidem, quia peccatum nihil operatur ad satisfactionem, quinimo virtutem

satisfactionis impedit: quia, vt dicitur Eccles. 34. dona iniquorum non probat altissimus. Similiter etiam ex peccato non demonstratur veritas humanæ naturæ: quia peccatum non pertinet ad humanam naturam, cuius Deus est causa: sed magis est contra naturam, per seminationem diaboli introductum, vt Damasc.⁸ dicit. Tertio, quia peccando exemplum virtutis probare non potuit, cum peccatum contrarietur virtuti. Et ideo Christus nullo modo assumpsit defectum peccati, nec originalis, nec actualis, secundum illud, quod dicitur 1. Pet. 2. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Dam.⁸ dicit in lib. 3. ostendit, lib. 2. cap. 10. & lib. 3. cap. 20.

3. lib. dupliciter dicitur aliquid de Christo. Vno modo secundum proprietatem naturalem & hypostaticam: sicut dicitur quod Deus factus est homo, & quod passus est pro nobis. Alio modo secundum proprietatem personalem & habitudinem, prout, scilicet, aliqua dicuntur de ipso in persona nostra, qua sibi secundum se nullo modo conueniunt. Vnde & inter septem regulas Ticonij, quas Aug.⁸ ponit in 3. de Doctr. Christi, anaprima ponitur de Domino & eius corpore: cum, scilicet, Christi & Ecclesiæ persona estimatur. Et secundum hoc Christus ex persona membrorum suorum loquens, dicit, Verba delictorum meorum, non quod in ipso capite delicta fuerint.

Ad secundum dicendum, quod, sicut dicit Aug.⁸ 10. super Gen. ad literam, non eodem omni modo Christus fuit in Adam & aliis Patribus, quo nos ibi fuimus. Nos enim fuimus in Adam secundum seminalem rationem, & secundum corruptulentam substantiam: quia, scilicet (vt ipse ibidem dicit) cum sit in semine, & visibilis corpulentia, & inuisibilis ratio, vtrumq; currit ex Adam. Sed Christus visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit, ratio vero conceptionis eius, non à semine virili, sed longe aliter, ac de super venit. Vnde non fuit in Adam secundum seminalem rationem, sed solum secundum corpulentam substantiam. Et ideo Christus non accepit actiue ab Adam humanam naturam, sed solum materialiter sumpsit corpus ex limo terræ, actiue autem à Deo. Et propter hoc Christus non peccauit in Adam, in quo fuit solum secundum materiam.

Ad tertium dicendum, quod Christus ex sua tentatione, & passione nobis auxiliatus est, pro nobis satisfaciendo: sed

17 3 pecca-